



03172

ROZPR. I MAT. WYDZ. I TPN 12









03172/1/2

MATERJAŁY I PRACE WYDZIAŁU I  
TOWARZYSTWA PRZYJACIÓŁ NAUK W WILNIE  
TOM I — ZESZYT 2

JAN OKO

# CATULLIANA ET HORATIANA



WILNO

NAKŁADEM TOWARZYSTWA PRZYJACIÓŁ NAUK W WILNIE  
Z ZASIĘKIEM WYDZIAŁU NAUKI MINIST. WYZNAŃ RELIG. I OŚW. PUBL.  
SKŁAD GŁÓWNY W KSIĘG. STOWARZYSZ. NAUCZYCIELSTWA POLSK.

1924

MATERJAŁY I PRACE WYDZIAŁU I  
TOW. PRZYJ. NAUK W WILNIE.

Datę i czas wydano:

Tom I:

- z. 1. Jan Otrębski. *Z dziejów języka łacińskiego*. (O zachowaniu się wygłosowego -s po samogłosce długiej),
- z. 3. Seweryn Goszczyński. *Podróż mojego życia*. Urywki wspomnień i zapiski do pamiętnika, 1801 — 1842. Wydał Stanisław Pigoń.

MATERJAŁY I PRACE WYDZIAŁU I  
TOWARZYSTWA PRZYJACIÓŁ NAUK W WILNIE  
TOM I — ZESZYT 2

---

JAN OKO

# CATULLIANA ET HORATIANA



WILNO

NAKŁADEM TOWARZYSTWA PRZYJACIÓŁ NAUK W WILNIE  
Z ZASIŁKIEM WYDZIAŁU NAUKI MINIST. WYZNAŃ RELIG. I OŚW. PUBL.  
SKŁAD GŁÓWNY W KSIĘG. STOWARZYSZ. NAUCZYCIELSTWA POLSK.

1924

03192



II

Druk. Okr. Szk. P. P. w Wilnie.



## CATULLIANA ET HORATIANA

SCRIPSIT

JOANNES OKO.

I.

Quantum Horatius in carminibus praecipue amatoriiis distet a Catullo non solum universo tenore sed etiam affectuum genere et elocutione, unicuique utriusque poëtae opera diligentius perlegenti statim manifestum fiat necesse est. Catullus, qui inter principes lyricae poësis antistites numeratur, nihil fere versibus mandavit nisi quod in vita vidit aut expertus est, variosque motus suos sic expressit, ut animi sui imaginem tamquam tabulam in claro lumine collocatam posteris reliquerit planeque de eo dicere liceat, quod de Lucillo olim Horatius (*Sat.* II 1, 30 e. q. s.) locutus erat:

Ille velut fidis arcana sodalibus olim  
Credebat libris neque, si male cesserat, usquam  
Decurrens alio neque, si bene: quo fit ut omnis  
Votiva pateat veluti descripta tabella  
Vita senis.

Carmina eius saepe miris deliciis oblectant, ne vestigium quidem praebent rhetorices, ipsa sua nativa simplicitate animos nostros tenent sicuti cantus aviculae, quae queritur et dolet et laetatur, quamvis quare quoque consilio cantet, ignoret. Horatium autem imprimis eximium formae artificem admiramur; cuius carmina praecipue amatoria, quamquam singula pulchra habent, tamen numquam tam sinceros affectus ani-

mique motus vehementiores exhibent, quibus Catulli carmina redundant. Optimis lyricae poësis Graecorum fontibus nixus, poëta Venusinus, aureae mediocritatis laudator et praeco, moderatis affectibus imprimis conspicuus, carmina componebat eo consilio, ut »princeps Aeolium carmen ad Italos modos deduceret« (III 30, 13), formae consulens, qua eum nemo poëtarum Latinorum umquam superavit. Qui cum longiora scriberet carmina, apud Catullum maximam partem inveniuntur minora eademque leviora, unde sequitur, ut in operibus vatis Veronensis plus insit concinnitatis quam Venusini, argumentum semper occupet cogitationem nostram neque alia atque alia subiciat quae sequamur singulisque vocabulis iterandis a poëta cogi videamur, ut quae graviora maiorisque momenti sint memoria teneamus. Quotiescumque tamen fiebat, ut ab ordine sententiarum, quae natura duce offerebantur, discederet, ad vehementiorem animi motum depingendum factum esse facile perspicias. Horatius autem »apis Mantinae more modoque per laborem grata carpentis thyma operosa fingebat carmina«, sedulo undique quaerens materiem, et si in carmine componendo inveniebat, quo movebatur, impulsionem extrinsecus oblatam sequebatur, ita ut saepe nexum sententiarum interromperet scilicet exemplis ex fabulis antiquis adhibitis eoque modo carmina sua immunitate et venustate, quam Catulli carmina spirant, privaret. In qua re quamquam non usque eo progressus est, quo Propertius in elegiis, tamen eo ornatu saepe abusus est.

Si omnia opera lyrica carmina sunt fortuita casuque oblata, vox reciproca vestigiumque moti animi, carmina praecipue Catulliana poëticam esse imaginem totius poëtae vitae in linguam poëticam versae nemo est qui neget. Nam in omnibus carminibus suis ita evolvit pectoris cogitationes, ita quae dicturus est sine negotio versibus mandat, ut, utrum affectum suavissimum an summam artis poëticae perfectionem magis admireris, nescias; quo autem vehementius invehitur uriturque, eo monoribus poëmatiis iram et indignationem, odium et ardentem amorem, invidiam et spem et metum amplectitur. Raro tantum in corpusculo Catulli offendimus carmina, in quibus pangendis poëtam vehementiore animi motu non fuisse

affectum videmus. Concinnitatem tum tamquam negligere videbatur poëta alia atque alia adiciendo, quibus planius quidem exprimebatur imago, sed argumentum producebatur longius. Quae carmina ostendunt poëtam magis enisum esse, ut verba componeret et quasi coagmentaret, quam quibus Lesbiam suam celebraret.

Quod ut comprobetur exemplis, admoneamus carminis 35, quod ex duabus constat partibus, quarum prima amicum invitat poëta, ut Veronam veniat, altera quasi separatim adhibita puellam quandam Novi Comi, quae Caecilium amabat, commemorat. In quo carmine cum id agatur, ut Caecilius quam celerrime Veronam contendat, argumentum iam versu 6 ad finem producitur, ea quae sequuntur nihil argumento adiciunt laudemque amici prae se ferunt:

Nam quo tempore legit inchoatam  
Dindymi dominam, ex co misellae  
Igles interiore edunt medullam.

Eodem fere modo afficimur carmine 3, quod quin Lesbia monente compositum sit, dubitari nequit. Cum in eo carmine poëta intimos animi motus non proderet, sed ab amica incitatus scriberet, factum est, ut grandiore genere dicendi in re tenui de melliti passeris morte luctum indiceret:

Legete, o Veneres Cupidinesque,  
Et quantum est hominum venustiorum,  
Passer mortuus est . . . . .  
. . . . .  
Qui nunc it per iter tenebricosum  
Illuc, unde negant redire quemquam,  
At vobis male sit, malae tenebrae,  
Orci quae omnia bella devoratis.

Sub finem demum carminis, cum iam non de passere puellae, sed de ipsa loquitur puella:

Tua nunc opera meae puellae  
Flendo turgiduli rubent ocelli,

poëta sincerum exhibet affectum, passerem puellae lacrimarum causam esse conquerens.

In carmine vero 68 Catullus Allio amico lepidissimis verbis laudato, postquam illud quo nondum felix fruebatur puella amata tempus commemoravit, mox in melius illud mutatum aperta amantibus tamquam refugio Allii domo, iam ad longam Lesbiae cum Laudamia (vv. 70—131) comparisonem transgreditur, ut profundus illius amor quam maxime reddatur illustris. In qua longiore digressionem quin Alexandrinorum vestigia presserit poeta non potest dubitari.

Ea carmina prorsus congruunt cum Horatii carminibus, quae saepe talium digressionum exemplorumque ex mythologia adhibitorum plena sunt; quae tamen congruentiae nulla egent exquisitiore explicatione. Vide sis tantum carmen III 11, cuius digressiones perpetuae in alios atque alios motus animos ducunt. Argumentum autem huius carminis exiguum est: Horatius Mercurium, poetarum patronum lyramque precatur, ut sibi dulcissimos quosque modos concedant, quibus Lydes animus tandem flectatur; recordatusque lyrae potentiam tantam esse, ut suavissimo eius cantu Orpheus non solum saevas bestias olim mitigavisset, arbores accivisset, verum etiam apud inferos Cerberum dimulsisset, praeterire non potest, quin Cerberi inflectatur descriptio:

Cerberus quamvis furiale centum  
Muniant angues caput eius atque  
Spiritus taeter saniesque manet  
Ore trilingui.

Qua latiore descriptione prolata mira arte ad fabulam Danaidum tractandam delabatur utpote consilio suo Lyden ab animi duritiae deterrendi. Apis Mantina diutius εν ᾠδῶν morata flores tetigit, quibus factum est, ut per invia et errores ad superos remigraverit. Et quamquam Horatius saepius nexum sententiarum sic interrumpit, ut in ampliorem cuiusdam rei descriptionem exspatiatur et post plures demum versus orationis filum resumat, tamen in hoc carmine modum certosque denique fines excedere necesse est putemus; in quo quam late digressionibus non solum usus, sed etiam abusus sit, iam primo obtutu manifestum fieri potest, quantumque distet a Catullo. Qui rarissime in carminibus suis a naturali tenore

discedit; quod si umquam inveniri potest, ad vehementiorem animi motum depingendum sive dissimilitudinum comparatione sive quasi intervallo quodam adhibito ut singula in lucem clariorem proferantur, factum esse facile perspicias. Ita quidem carminis 5 initio Lesbiam suam hortatur, ut vitae gaudiis fratur his verbis:

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,  
Rumoresque senum severiorum  
Omnes unius aestimemus assis,

post quae haec expectanda essent: „nam nihil opus est iis vitam tristiorem reddere, cum semel tantum vivamus; si ad inferos descenderimus, iam redibimus numquam neque soli similes erimus, qui occidere et redire potest“; sed poëta, quo vehementius percutiantur animi, verborum ordinem nec non sensuum coniunctionem immutavit ac primum de solibus (diebus) occidentibus et remeantibus:

Soles occidere et redire possunt,

tum demum de nocte perpetua post mortem domienda loquitur:

Nobis cum semel occidit brevis lux,  
Nox est perpetua una dormienda.

Quo factum est, ut inter versus 3 et 4 tamquam intervallum exstiterit, quod comparationem vitae humanae cum solis motibus antecedit. Quare carmen 5 quasi ex duabus partibus constare videtur, quae inter se non satis coniunctae sunt, etiamsi altera primam comprobet. Neque eo contentus poëta diversitatis removendae causa imaginem tristem adicit:

Nox est perpetua una dormienda,

quo acrius deinde exlamare possit:

Da mi basia mille,

quibus nihil aliud affert nisi consecutionem versus primi:

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus.

Indolis animique Horatii proprium esse videtur digressiones eius non pertinere ad vehementiorem animi motum exprimendum, imprimis tamen digressiones ex philosophia depromptas. Quod carm. I 13 comprobatur, ubi poëta cum a Lydia, quam amabat, adulescentem quendam praelatum sibi esse finxisset et invidia agitato puellam, ne adulescenti nimis fideret, monuisset, miseram suam fortunam deplorans mutuamque amorem praedicans sub finem haec adiecit:

Felices ter et amplius  
Quos inrupta tenet copula nec malis  
Divolsus querimoniis  
Suprema citius solvet amor die.

In carmine autem II 5 Horatius, ut amicum ab amore puellae tenerae viroque nondum tempestivae, quam cum iuvenca immatura et uva inimiti comparat, avocet, monet persuadetque, ut aliquamdiu ferocitatem puellae patienter ferat, brevi enim puellam amplexus eius ultro petituram esse pollicetur:

currit enim ferox  
Aetas et illi quod tibi demperit  
Adponet annus.

## II.

Quibus praemissis iam ad singulas dicendi rationes sententiarumque conformationes utriusque poëtae transeamus, quae ad affectuum vim augendam sive minuendam pertinent. In qua re explicanda quin nullae certae rationes adhiberi possint dubitari nequit, cum sciamus una eademque decendi ratione varios animi motus depingi solere. Utrumque tamen est, hoc tantum pro certo haberi potest elocutiones quasdam ad certum munus exsequendum saepe adhibitas vim eidem muneri subiectam adaugere eoque modo ad altitudinem affectuum exprimendam pertinere. Itaque magna copia nominum adiectivorum interdum affectum infirmari videmus universumque carminis tenorem distrahi, saepe tamen, praesertim cum adiectivis exprimantur imagines, affectui vim altitudinemque accrescere. Iam qui diligentius carmina utriusque poëtae legerit, Catullum itemque Horatium imprimis adiectivis imagines suas exprimere

concedet. Apud Catullum igitur hae inveniuntur: doctae char-  
 tae et laboriosae (1,6), desiderium nitens (2,5), tristes curae  
 (2,10), viduae noctes (6,6), tacitum cubile (6,7), Iuppiter aestuo-  
 sus (7,5), amores furtivi (7,8), nuntii beati (9,3), horribilis libel-  
 lus (14,2), venia pudens (15,2), coniunx lignea (23,6), truces  
 iambi (36,5), salax taberna (37,1), vecors rixa (40,4), ebrii ocelli  
 (45,11), os ferreum (42,17), seclum insipiens (43,18), crudelior  
 ignis (62,20), vidua vitis (62,49), mitis uva (62,50), similia et  
 apud Horatium <sup>1)</sup>: mollia imperia (IV 1,7), dens invidus (IV 3,16),  
 fidele silentium (III 2,25), audaces dithyrambi (IV 2,10), dulcis  
 sonus (III 13,38), mores aurei (IV 2,22), celeres lunae (IV 7,13),  
 operosa carmina (IV 2,32), nuntii superbi (IV 4,70), forum  
 orbum (IV 2,43), casta domus (IV 5,27), saeva paupertas  
 (I 12,43), ferrum mordax (IV 6,9), imber edax (III 30,3), arces  
 superbae (epod. 7,6), postes superbae (IV 15,8), atrae curae  
 (III 1,40), volucres dies (III 28,6), angusta pauperies (III 2,1),  
 frons sollicita (III 29,10), frons docta (I 1,29), tuta auris (I 27,18),  
 cervix impia (III 1,18), canities morosa (I 9,17), vigiles lacernae  
 (III 8,14), pigri campi (I 22,17), avidum mare (I 28,18), querula  
 tibia (I 7,30), auritae quercus (I 12,12), similia.

Certum est attributa ad affectionem illustrandam—iracun-  
 dam, ferocem, mitem multum valere. Quod iam vir doctis-  
 simus C. Morawski observavit (*Eos*, XIX, 132) Horatium in  
 carminibus nihil aequae adamasse quam adiectiva, quae vim  
 temperatam et sedatos animi motus designent, ita quidem  
 adiectivum »lenis« saepissime repeti (decies ter), »mitis« (ter),  
 »placidus« (ter), »temperatus« (ter), in epodis autem prorsus  
 non apparere excepto adiectivo »mitis«, sed asperitatem quan-  
 dam cum in singulis dicendi rationibus tum in sensibus esse  
 conspicuam. Verum tamen id non multum pertinere putamus  
 ad ipsam poësin recte intelligendam. Catullus enim, qui multo  
 saepius vehementiusque invehitur, vocabulis placidis frequen-  
 tius uti solebat quam vehementibus, in cuius carminibus vo-  
 cabulum »mollis«—decies quater, »tener«—decies, »lenis«—bis  
 recurrit exceptis adiectivis deminutivis, quae adeo adamasse  
 poëtam constat. Omnium primum autem in carminibus utrius-

<sup>1)</sup> Dr. E. Rosenberg, *Die Lyrik des Horaz*, Gotha 1883, pg. 83.

que poëtae adiectivum »dulcis« deprehenditur semel atque iterum adhibitum; dulcia enim sunt apud Horatium: epula (III 8,6), sapor (III 1,10), oscula (I 13,14), vinum (III 12,1; III 13,2; epod. 2,47), otium (epod. 1,8), decus (I 1,2), fistula (I 17,10), fortuna (I 37,11), sonus (II 13,38), strepitus (III 3,18), domus (III 5,12) etiam mors pro patria (III 2,13). In universum usus est Horatius hoc adiectivo in carminibus—vicies septies, in epodis—septies, dum Catullus, quamquam natura vehementior est, idem adiectivum—vicies quater adhibet ad amorem (64,120; 66,6; 68,24,96; 78,3), puellam (32,1); carmen (68,7), suaviolum (99,2), vitam (64,157), coniugium (68,106), sodalicium (100,4), coniugem (66,33), virum (67,1), pueros (45,11) designandos.

Quantum autem adiectivum ad vim versui insitam illustrandam valere queat, quantum ad affectum depingendum pertineat, haec afferenda videntur: Horatius I 13,3 e. q. s. cum a Lydia Telephi pulchritudinem summis laudibus efferri videret, ira et indignatione exardescens his verbis querebatur:

. . . . . vae, meum  
fervens difficili bile tumet iecur,

hanc sedem animi perturbationum (*Sat.* I 9, 66: „meum iecur urere bilis“, Hom. *Il.* I 646: οἰδάνεται καρδίη χολή) nec non sedem vehementis amoris (Theocr. 11, 16; 13, 71) truci vocabulo „fervens“ designans, bilem autem adiectivo „difficili“, cuius designationis apud Horatium primum exstat exemplum. In carmine vero I. 5, 1 e. q. s. Pyrrham peiuram appellat his verbis:

Quis multa gracilis te puer in rosa  
Perfusus liquidis urget odoribus  
Grato, Pyrrha, sub antro  
Cui flavam religas comam,

Simplex munditiis?

Quamquam puellam graviter accusat poëta, quod fide rupta alium quendam amatorem secuta sit, verba, quibus appellat puellam, quae instar maris fallacis cura afficiat, quicumque ad eam accesserit<sup>1)</sup>, non miti quodam colore carent, adiectiva

<sup>1)</sup> Kiessling—Heinze, *Qu. Horatius Flaccus Oden u. Epoden*, 1917, pg 54.



autem, quae multa conguessit, convicia omni ferocitate privant et quasi novam poëtae offerunt occasionem pulchritudinis temerariae puellae laudandae.

Catullum in carmine 37 iam ab ipso initio trucibus uti vocabulis videmus. Cum enim Lesbiam in taberna quadam infami consedissee ibique effrenatae libidini se dedisse audivisset, indignatione commotus aspere ac superbe hanc tabernam compellat:

Sax taberna vosque contubernales,  
A pileatis nona fratribus pila . . . .

In carmine vero 87, quod his incipit verbis:

Quinta formosa est multis, mihi candida, longa  
Recta est,

poëta quamquam consulto multa conguessit adiectiva, lenitatem quandam exhibentia, verum tamen asperitatis quidam color non evanescit, sua enim sententia Quintiam candidam quidem, longam, rectam sive proceram, non tamen formosam esse contendit<sup>1)</sup>. Ubi autem versibus proximis Lesbiam commemoravit poëta:

Lesbia formosa est; quae cum pulcherrima tota est  
Tum omnibus una omnes surripuit Veneres,

<sup>1)</sup> Apud antiquos Graecos et Romanos feminas eximiae longitudinis sive altitudinis pulchras habitas esse multa exstant exempla. Iam Homerus in *Odyss.* 18,248 Penelopen magnam praedicat:

. . . . . ἐπεὶ περίεσσι γυναικῶν  
εἰδὸς τε μέγεθος τε ἰδὲ φρένας ἔνδον εἶσατ.

Xenophon autem in *Anab.* 3, 2, 25: ἀν' ἅπασι μάθωμεν ἀργοὶ ζῆν καὶ ἐν ἀφθόνοις βιοτεῦσθαι καὶ Μήδων δὲ καὶ Περσῶν καλαῖς καὶ μερίσταις γυναιξὶ καὶ παρθένοις ὁμιλεῖν.

Hectores quoque elegiae Romanae semel atque iterum longas puellas pulchras appellat, ut Propertius II 2, 5 sq:

Fulva coma est longaeque manus et maxima toto  
Corpore et incedit vel love digna soror.

Ovidius *Am.* 3,8: „longa decensque fuit“, Horatius *Sat.* I 2, 123 sq:

Candida rectaque sit; munda hactenus, ut neque longa  
Nec magis alba velit, quam dat natura, videri.

verbis eius statim color quidam molliculus ac dulcis accedit, cum enim de Lesbia sermo est, non est iam severitati locus, lenitatem res postulat.

Ad vehementiorem animi motum exprimendum non minoris momenti deminutiva esse iam alii observaverunt<sup>1)</sup>. Quorum usus apud Catullum imprimis in carminibus minoribus tam late patuit, ut poëta modo dulcem amorem, modo odium et contemptum, tum lepidam irrisionem, etiam infirmam invaliditatem expresserit eoque modo carminibus suis venustatem et nativum quendam leporem adperserit. Si hunc frequentem apud Catullum usum deminutivorum cum Horatii carminibus comparaveris, vatem Venusinum hanc licentiam sibi nisi per angustis finibus non permisisse eiusque rara in carminibus deminutiva maxime ad irrisionem et contemptum spectare videbis.

### III.

His allatis iam ad comparationes examinandas transeamus, quae quin venustatis quendam colorem carmini adiciant imaginesque clariores reddant haud dubium esse videtur<sup>2)</sup>. Quibus comparationibus non mutari pristinum colorem, nisi vocabula quaedam exhibeant, quae ad vehementiorem animi motum illustrandum consulto a poëta congesta sint plane mihi persuasum habeo.

In carminibus Horatii comparationes saepe longiorum digressionum causam esse iam supra admonuimus; apud Catullum comparationem non idem valere ut apud Horatium, numquam fere ad digressionem praebere ansam, sed maiorem vim exhibere pluribusque constare partibus facile cognosces. Quas comparationes in carminibus vatis Veronensis singula in lucem clariorem proferre imaginemque ampliolem certiolem-

<sup>1)</sup> G. Mueller, *De linguae latinae deminutivis*, Lipsiae 1865, S. B. Platner, *Deminutives in Catullus*, *American Journal of philol.* 16 (1895), pg. 186, de Labriolle, *L'emploi du diminutif chez Catulle*, *Revue de philol.* 29 (1905) pg. 277.

<sup>2)</sup> J. Simon, *De comparationibus quae in Catulli carminibus leguntur*, Cilli 1893.

que reddere, saepe ludendi causa adhibitas esse hoc comprobetur exemplo (7,3 e. q. s.):

Quam magnus numerus Libyssae harenae  
 Lasarpiciferis iacet Cyrenis  
 Oraclum Iovis inter aestuosi  
 Et Batti veteris sacrum sepulcrum,  
 Aut quam sidera multa, cum tacet nox,  
 Furtivos hominum vident amores:  
 Tam te basia multa basiare.  
 Vesano satis et super Catullo est <sup>1)</sup>.

Cum comparationibus metaphorae sive translationes iunguntur, quae, cum natura firmiora exhibeant vocabula, imagines adaugent easque viviores reddunt.

Saepissime ab utroque poeta metaphorae ab igni ductae usurpabantur. Itaque vox »u r o r« in Catulli carminibus aliquotiens occurrit: „pectore uritur intimo flamma“ (61,177), „etsi impensius uror“ (72,5), uritur et coquitur“ (83,6); apud Horatium autem: „uror seu tibi candidos turparunt umeros... rixae“ (I 13,9), „sive quid urimur“ (I 6,19), „et miseram tuis dicens ignibus uri“ (III 7,11), „ureris ipse miser“ (epod. 14,13); »a r d e o« apud Catullum: „ignis ardet in medullis“ (45,16), „iuveni ardenti castam donare puellam“ (62,23), „cum tantum arderem quantum Trinacria rupes“ (68,53); apud Horatium: „arsit Atrides virgine rapta“ (II 4,7), „donec non alia magis arsisit“ (III, 9,6), „non sola arsit Helene Lacaena (IV 9,13), „non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo Anacreonta Teium“ (epod. 14,9), „ardeo, quantum neque atro delibutus Hercules Nessi cruore (epod. 17,30) pro »a m o«; »i g n i s« apud Cat: „ignes interiorem edunt medullam“ (35,15), „ignis mollibus ardet in medullis“ (45,16); apud Hor: „quam lentis penitus macerer

<sup>1)</sup> Iam inde ab antiquissimis temporibus ad numerum innumerum significandum non solum harena (Hom. *Il.* IX, 385: οὐδ' εἴ μοι τόσα δαίη, ὅσα ψάμαθός τε κόνης τε) sed etiam coniunctae cum his stellae proferri solebant (Platonis *Euthyd.* pg. 294 B: ἢ καὶ τὰ τοιαῦτα ἐπίστασθον τοὺς ἀστέρας ἵπῶσι εἰσὶ καὶ τὴν ἄμρον). Ovid. *Trist.* I 5.47. Catullus etiam 61,205: „ille pulveris Africi siderumque micantium subducatur numerum prius, qui nostri numerare volt multa milia ludi“. *Genesis* 22,17: „multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli et velut harenam, quae est in litore maris“. A. Baehr. *Comm.* pg. 104.

ignibus“ (I 13,8), „et miseram tuis dicens ignibus uri“ (III 7,11); >flamma« apud Cat: „tenuis sub artus flamma demanat“ (51,9), „cum vesana meas torreret flamma medullas“ (100,7), „pectore uritur intimo flamma“ (61,178), „accepit pectore flammam“ (64,92); apud Hor: „digne puer meliore flamma“ (I 27,20) pro >amore«<sup>1)</sup>.

Brevibus tamen verbis admonendum esse puto affectus utriusque poëtae, etiamsi ad amorem exprimendum iisdem utantur metaphoris, persaepe alios habere fontes. Ita quidem Horatius I 13, 5 e. q. s. perire se ostendit invidia, cum a Lydia puerum quendam tenerum laudari audivisset:

Tunc nec mens mihi nec color  
 Certa sede manent, umor et in genas  
 Furtim labitur arguens  
 Quam lentis penitus macerer ignibus  
 Uror, seu tibi candidos  
 Turparunt umeros immodicae mero  
 Rixae . . . . .

Similis quidem affectus et apud Catullum in *carm.* 51 ex Sapphus quodam odario (*frg.* 2) verso occurrit, ubi poëta cogitatione sibi depingit, quo animo adversus sedens identidem puellam spectet et audiat:

Lingua sed torpet, tenuis sub artus  
 Flamma demanat, sonitu suopte  
 Tintinant aures, gemina teguntur  
 Lumina nocte.

Affectum igitur utriusque poëtae diversis duci causis manifestum est; Horatius enim invidia mentem suam huc illuc agitari dicit, os modo pallore, modo rubore obduci et prodere quam lentis maceretur ignibus, Catullus quamquam similem sententiam et sensum nec non membrorum parallelismum ex-

<sup>1)</sup> Quod talium metaphorarum fontem attinet, in veteribus Graecorum carminibus amatorii quaerendus est; in epigrammatis Alexandrinorum late patuerunt, quorum exemplo ducti Romani epigrammata amatoria componebant. Iam circa a. a. Chr. n. 100 Porcius Licinus in epigrammate a Gellio *N. A.* XIX 9, 10 servato pastores ignem quaerentes monebat, ut ad se accederent, in suo enim pectore tantum ignem inventuros, quo omnia possint incendi.

hibet, tamen alia de causa id fieri in propatulo est, visus scilicet puellae adeo occupavit amantem, ut similis fere sit statuae lapideae<sup>1)</sup>.

Seorsum metaphorae tota sententia expressae tractandae videntur. Quae cum sensum non solum qui provideri possit, sed etiam eum qui in ipsis insit verbis exhibeant, animos a sollicitudine abducunt eoque modo ad sententias infirmandas valent. Quibus metaphoris Horatium saepius usum esse quam Catullum facile perspici protest. Ita quidem in carm. I 5 cum puerum quendam, ut perfidiam et levitatem Pyrrhae caveret, monuisset, haec adiecit:

. . . . . me tabula  
 Votiva paries indicat uvida  
 Suspendisse potenti  
 Vestimenta maris deo.

Cum autem naufragi in Neptuni aut alius dei maritimi delubro tabulam votivam una cum vestimentis, in quibus erant servati, suspendere solerent<sup>2)</sup>, poeta his verbis sese perspecta puellae perfidia ex laqueis, quibus in amorem suum se irretivisset, deorum auxilio feliciter expeditum esse ostendere voluit.

In carmine vero III 10, 9 poeta Venusinus, ut Lycen morderet, ne omnis opera ab ea in ludificandis amantibus insumpta

<sup>1)</sup> Theocr. 2,102: . . . ἃ δ' ἦνθε καὶ ἦγαγε τὸν λιπαρόχρων  
 Εἰς ἐμὰ δώματα Δέλφιν, ἐγὼ δέ μιν ὡς ἐνόησα  
 Ἄρθι θύρας ὑπὲρ οὐδὸν ἀμειβόμενον ποδὶ κόυφῳ,  
 Πᾶσα μὲν ἐψύχθη χιόνος πλέον ἐκ δὲ μετώπῳ  
 Ἰδρώς μευ κοχῦδεσκεν ἴσον νοτίαισιν ἑέρσαις,  
 Οὐδὲ τι φωνᾶσαι δυνάμαν . . . . .  
 Ἄλλ' ἐπάγην δαγῦδι καλὸν χροῶ πάντοθεν ἴσα.

Sim. Val. Aeditui epigr. (Gell. N. A. XIX 9, 11).

<sup>2)</sup> Cf. Verg. *Aen.* XII 766 e. q. s:

Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris  
 Hic steterat, nautis olim venerabile lignum,  
 Servati ex undis ubi figere dona solebant  
 Laurenti divo et votas suspendere vestes.

Cic. de n. d. III 89; Ant. P. VI 245; Iuvenal. XII 17.

in cassum susciperetur et ipsa suae superbiae poenas daret, hac usus est imagine:

Ingratam Veneri pone superbiam  
Ne currente retro funis eat rota.

Quae imago e rota ducta est, qua fure apto moles in altum tollitur (Frontin. 1, 5, 7; Tacit. *hist.* 4, 23; Vitruv. 10, 13, 2). Cum eiusmodi igitur fune rupto nempe nimio rotae cursu et retro voluto comparatur sors eorum, qui nimio nisu ad altiora tendentes subito casu ad inferiora retro feruntur. Hinc «funis rumpitur vel retro it» proverbium esse Graecorum in carminibus amatorii saepe usitatum iam alii animadvertunt<sup>1)</sup>, in eiusque rei fidem aliquot protulerunt locos: Lucian. *Dial. meretr.* 3: τὸ δὲ πᾶν χαλεπὴ ἀεὶ τῷ ἀνθρώπῳ γεγενῆσθαι, καὶ ὄρα, μὴ κατὰ τὴν παροιμίαν ἀποβρίξωμεν πᾶν τεῖνασαι τὸ καλῶδιον.

Apud Catullum tales metaphorae raro quidem occurrunt, sed et in eius carminibus passim inveniuntur, ut *carm.* 8, 3:

Fulsere quondam candidi tibi soles,

pro vulgari: „eras tu quondam felix, secunda tibi olim in amore affulgebat fortuna“. Simili translatione sed ad miseriam exprimendam usum esse Horatium constat *Sat.* I 8, 72: „Huncine solem ta nigrum surrexe mihi“, eodem vero sensu (quo Catullus) — Ovidium ex P. II 1, 25 e. q. s:

Tu mihi narrasti, cum multis lucibus ante  
Fuderit adsiduas nubibus auster aquas,  
Numine caelesti solem fulsisse serenum.

Lepidissimam metaphoram exhibet etiam Catulli *carmen* 70, ubi v. 3 poëta in amore elusus de mulierum levitate queritur his verbis:

Dicit; sed mulier cupido quod dicit amanti,  
In vento et rapida scribere oportet aqua,

quam ex Graecorum proverbio sumpsisse videtur, cum in Sophoclis *frgm.* 741 N legamus: εἰς ὕδωρ γράφειν nec non in Plat. *Phaedr.* 276, Lucian. *Catapl.* 21: ὄρκους ἐγὼ γυναικὸς εἰς ὕδωρ γράφω.

<sup>1)</sup> Rohde, *Griech. Rom.* <sup>2</sup> 157.

Iam qui accuratius Horatii dicendi rationem consideraverit, facile persuasum habebit adamasse poëtam Venusinum pugnantia secum componere, ut »grata protervitas« (I 19,7), »saevo cum ioco« (I 33,12), »grata compede« (I 33,14), similia. Qua dissimilitudinum coniunctione, etiamsi rarius in Catulli carminibus occurrat, imaginibus hoc modo expressis vim accrescere nemo est qui neget. In carmine enim 11,19 e. q. s., quod fide a Lesbia rupta compositum esse necesse est putemus, poëta non maledicit puellae perfidae, amicos tantum rogat, pauca »non bona dicta« ei nuntient:

Cum suis vivat valeatque moechis,  
Quos simul complexa tenet trecentos  
Nullum amans vere, sed identidem omnium  
Ilia rumpens.

In quo carmine diversitate allata »nullum« et »omnium« poëta asperitatem quandam et gravitatem verbis suis adiecit. In epigrammate vero 85 constructio vocabulorum »odit« et »amat«, quae invicem se excipiunt, adeo obstupefacit ipsum poëtam, ut affectuum inter se contrariorum causam nondum inveniat, quique id fiat et fieri possit, sese prorsus non intelligere dicat <sup>1)</sup>. Similiter 76,13: „Difficile est longum subito deponere amorem“; 87,6: „omnibus una omnes surripuit Veneres“.

Quam dissimilitudinum coniunctionem in Horatii quoque carminibus passim offendimus, ut II 12,21 e. q. s.

Nam tu quae tenuit dives Achaemones  
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes  
Permutare velis crine Licymniae  
Plenas aut Arabum domos?

<sup>1)</sup> Vocabula »odit« et »amat« saepius sive coniuncta sive opposita opud poëtas antiquos occurrunt:

Terent. *Eun.* I 1,27: „Et taedet et amore ardeo“,

Publ. Syr. 6. „aut amat aut odit mulier, nil est tertium“,

Ovid. *A.* III 11,33: „Luctantur pectusque leve in contraria tendunt

Hac amor, hac odium; sed puto vincit amor“,

ibid. 35: „Odero, si potero, sin non, invitus amabo“.

His verbis poëta omnes, quaecumque sint divitias, uni Licymniae crini opposuit, ut Hafis apud *Ion. Poes. Asiat.* pg. 367: „Tametsi amica nos nihil aestimet, tamen orbi terrarum non permutemus crinem illius capitis“.

## IV.

Ad affectionem recte depingendam sonumque sublimiorem exprimendum gradatio magni momenti esse videtur, quae tamen figura ab utroque poëta raro tantum usurpabatur. Initio igitur carminis 51, quod ex Sapphus quodam odario a Catullo in latinum sermonem versum esse iam supra monuimus, haec scripta inveniuntur:

Ille mi par esse deo videtur,  
Ille, si fas est, superare divos...

Ea dicendi forma, quae cumulando adauget, e Graecorum poëtis usum esse Euripidem constat, cum ita scriberet in *Hippolyto* 360:

Κύπρις οὐκ ἀρ' ἴν θεός  
ἀλλ' εἴ τι μείζον ἄλλο γίγνεται θεοῦ,

sed simplicius Aeschylum in *Choephor.* 53:

τὸ δ' εὐτυχεῖν,  
τόδ' ἐν βροτοῖς θεός τε καὶ θεοῦ πλέον.

Pari modo igitur quamquam dicit Catullus, tamen ipse suo periculo amplificavit sententiam, quam simplicem habet ea quam imitatus est Sappho (frgm. 2):

Φαίνεται μοι κήνος ἴσος θεοῖσιν  
ἔμμεν ὄνηρ, ὅστις ἐναντιός τοι  
ἰζάνει . . .

In qua re ne ea quidem negligenda esse videntur, quibus ancilla Hecubam appellat, in cognomine fabula 667:

ὦ παντάλαινα καὶ μάλλον ἢ λέγω,  
δέσποινα, ὄλωλας, οὐκέτ' εἰ βλέπουσα φῶς,

et si quae horum similia feruntur: nam his quoque satis conspicuum esse videtur, quantopere augendi cupidi sint et quam



difficile sibi satisfaciant sive poëtae sive quos poëtae inducunt loquentes. Catullus etiam alio modo amplificavit sententiam, cum Romanorum morem secutus »si fas est« adiecerat, ne scilicet magnos deos laederet lingua superba, ut Cicero *Tusc.* V 13,18: „cum ipso deo, si hoc fas est dictu, comparari potest“: Ovid. *Trist.* V 2,46: „si fas est homini cum love posse loqui“; V 3,27:

Me quoque, si fas est exemplis ire deorum,  
Ferrea sors vitae difficilisque premit.

Quae gradatio etiam apud Horatium inveniri potest, ut in *carm.* I 13,17:

Felices ter et amplius,

is tamen cumulandi adaugendique modus ab Homero sumptus (*Odyss.* 5,306: τρις μάκαρες Δαναοί καὶ τετράκις, οἳ τότ' ἔλοντο) non tanti valet, quanti valere vidimus apud Catullum, neque ei vim tantam inesse facile perspicies.

Praeterea in *carm.* III 9 continuas in Lydiae responsis ἀδείσεις facile quisque per se sentiet. Haec autem carminis amoebaei veluti lex erat, ut, qui responderet, similibus sententiis atque imaginibus, sed maiore cum vi atque arte expressis alterum vincere conaretur:

- v. 1. Donec gratus eram tibi
5. Donec non alia magis arsisiti,
9. Me nunc Thressa Chloe regit
13. Me torret face mutua
11. Pro qua non metuum mori
15. Pro quo bis patiar mori.

## V.

His collatis iam animadvertamus oportet, quomodo ordinatio sive constructio sententiarum, quam Graeci σύνταξιν vocant, ad affectus depingendos pertineat. In qua re imprimis complurium sententiarum, quae enuntiationi adiunctae sunt, sive sententiarum secundariarum ordinatio, ad rem sive cogi-



tationem quandam designandam magni momenti esse videtur.  
Quod ut comprobetur exemplis, afferamus Horatii II 8,1 e. q. s:

Ulla si iuris tibi peierati  
Poena, Barine, nocuisset umquam,  
Dente si nigro fieres vel uno  
Turpior ungui  
Crederem . . .

Similiter III 9:

Donec gratus eram tibi  
Nec quisquam potior bracchia candidae  
Cervici iuvenis dabat,

et eiusdem carm. v. 5 sq:

Donec non alia magis  
Arsisti neque erat Lydia post Chloen . . .

Quibus satis manifestum esse puto a poëta omnia, quae fingi possint, adferri, sententiam enim »donec gratus eram tibi« alium quendam amatorem nondum excludere, ita ut altera sententia »nec quisquam potior bracchia candidae cervici iuvenis dabat« quasi ad priorem sententiam supplendam et explicandam adhiberi videatur tamquam si sese solum a Lydia amatum esse dixerit. Quae enuntiationum ordinatio etiam apud Catullum inveniri potest, sicuti in carm. 11:

Furi et Aureli, comites Catulli,  
Sive in extremos penetrabit Indos,  
Litus ut longe resonante Eoa  
Tunditur unda,

Sive in Hyrcanos Arabasve mollis  
Seu Sacas sagittiferosve Parthos,  
Sive quae septingeminus colorat  
Aequora Nilus,

Sive trans altas gradietur Alpes,  
Caesaris visens monumenta magni,  
Gallicum Rhenum horribilesque ulti-  
mosque Britannos,

Omnia haec, quaecumque feret voluntas  
Caelitum, temptare simul parati . . .

Catullus cum his versibus Furium et Aurelium pluribus sententiis ut spectatissimae fidei amicos, qui ad summos quosque labores subeundos prompti paratique essent, appellavisset, in tantam hac sententiarum ordinatione admirationem convertit lectorem, ut sane ipsum spectatae amicitiae novum documentum ab iis petiturum esse expectare possit. Non multa tamen poscere videt poëtam:

Pauca nuntiate meae puellae  
Non bona dicta.

More suo Catullus tacita irrisione usus est in eo carmine, ut sub finem veros affectus suos ostenderet tristemque animum dulcissima imagine, quam e proverbio vulgari effinxit, exprimeret <sup>1)</sup>:

Nec meum respectet, ut ante, amorem,  
Qui illius culpa cecidit, velut prati  
Ultimi flos, praetereunte postquam  
Tactus aratro est.

Amicorum vero mentem consiliumque bene perspicuus poëta in huius carminis prologo (1—14) eundem secutus est morem, quo veteres amicitiam designare solebant, ut amicos carum caput in remotissimas quasque terras multo cum labore periculisque comitari paratos esse dicerent.

Quam rem similiter Horatium expressisse eodemque metro invenimus II 6:

Septimi, Gadis aditure mecum et  
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra et  
Barbaras Syrtis, ubi Maura semper  
Aestuatur unda,

nec non in epod. 1,11 e.q.s:

Feremus et te vel per Alpium iuga  
Inhospitalem et Caucasum  
Vel occidentis usque ad ultimum sinum  
Forti sequemur pectore;

<sup>1)</sup> S. Hammer, *Ad Sapphus et Catulli carmina nuptialia notulae, Eos* XXIII, pg. 14.

Propertium I 6,1 e. q. s:

Non ego nunc Hardiae vereor mare noscere tecum,  
Tulle, neque Aegeo ducere vela salo  
Cum Rhipaeos possim conscendere montes  
Ulteriusque domos vadere Memnonias;

Mart. X 20,7:

Tecum ego vel sicci Gaetula mapalia Poeni  
Et poteram Scythicas hospes amare casas.  
Si tibi mens eadem, si nostri mutua cura est,  
In quocumque loco Roma duobus erit;

Stat. *Silv.* III 5,19;

Quamquam et si gelidas irem mansurus ad Arctos  
Vel super Hesperiae vada caligantia Thyles  
Aut septingemini caput inpenetrabile Nili,  
Hortarere vias;

V 1,127 e. q. s.

## VI

Majoris tamen momenti ad affectus intimosque pectoris sensus exprimendos tempora modosque enuntiationum recte adhibitos esse nemo certe negabit. In carminibus nempe amatoriis, ubi gravissimi saepe animi motus verbis comprehenduntur ac depinguntur, frequens usus imperativi sonum poëtae sublimiorem gravioremque reddere solet. Ne autem sermo eo modo nimis validus immoderatusque sit, affectus a poëtis ita moderantur, ut pro validioribus imperativis tenuioribus coniunctivis utantur. In universum imperativo imperia vel preces exprimi solere non ignoramus, ab utroque tamen poëta deos perraro coniunctivo appellari memoratu dignum esse videtur. Catullus enim quamquam in carminibus suis tricies quater deos appellat, vix ter usus est coniunctivo, Horatius in odis et epodis decies semel coniunctivum adhibuit, etiamsi tricies septies deos appellavisset. Admonendum etiam videtur Catullum illam Lesbiam solo imperativo (5,7; 6,12), alias puellas octies imperativo, bis tantum coniunctivo alloqui.

Qui Horatium cum Catullo comparaverit, a Venusino poëta puellas duodevicies imperativo, sexies solum coniunctivo

appellari vedebit. Itaque a vehementiore Catullo imperativus frequentius usitabatur quam ab Horatio, moderatis affectibus imprimis conspicuo, nam allocutionibus ad puellas amatas et deos omissis centies vices ter imperativum, septies tantum coniunctivum adhibuit, dum Horatius septuagies imperativo et duodevicies coniunctivo utitur. Velim quoque animadvertas Maecenatem ab Horatio<sup>1)</sup>, a Catullo Lesbiam solo appellari imperativo. In temperato tamen genere dicendi frequentiorem apud utrumque poëtam esse coniunctivum quam imperativum multis exemplis ex carminibus depromptis comprobari potest. Horatius igitur I 33, 1 e.q.s., ut Albium Tibullum, quo familiariter utebatur, de fide a Glycera laesa consolaretur, usus est coniunctivo:

Albi ne doleas plus nimio  
Inmitis Glycerae neu miserabilem  
Decantes elegos, cur tibi iunior  
Laesa praeniteat fide;

similiter Catullus fide a Lesbia laesa (76, 16 e.q.s.):

Difficile est longum subito deponere amorem,  
Difficile est. Verum hoc, qua lubet, efficias:  
Una salus haec est, hoc est tibi pervincendum,  
Hoc facias, sive id non pote, sive pote.

Altera persona sing. coniunctivi praesentis ad prohibitionem exprimendam saepius in comoedia occurrens, interdum ab Horatio in satiris, in carminibus post »ne u« (I 2, 51) et post »ne c« (II 11, 4) usurpabatur; post »ne c« semel tantum secundam personam sing. coni. praes. loco modo allato invenimus, quo leniore sono orationis utitur poëta, ut adflictum amicum erigat confirmetque.

Interdum in carminibus utriusque poëtae utrumque modum iuxta usurpari invenies. Ita quidem Catullus 32, 3 cum amicam rogaret, ut domi maneret, usus est imperativo:

Iube ad te veniam meridiatum,

<sup>1)</sup> C. II 17, 31; III 8, 13, 15, 17, 26, 27, 28; III 29, 5, 9, 11, 32; epod 14, 15.

cum tamen a precibus ad mandata transisset, ut omnia diligenter pararet, imperativum coniunctivo commutavit:

Sed domi maneat paresque nobis  
Novem continuas fututiones.

Horatius autem l 11 dum puellam quandam supersticiosam vitae gaudiis frui iubet, utitur coniunctivo:

Sapias, vina liques et spatio brevi  
Spem longam reseces,

quo validiore sono sub finem carminis exclamare possit:

Carpe diem quam minimum credula postero.

Quomodo autem rectus temporis usus ad tenorem sonumque loci sublimiorem reddendum affectumque sincerum exhibendum valeat, Catulli carmen 8 docet, ubi poëta Veronensis Lesbiam suam his verbis compellat (v. 5):

Amata nobis quantum amabitur nulla.

Manifestum fit hic a poëta futurum „amabitur“ positum esse scilicet ad affectum sincerum tristemque animum exprimendum, bene enim illum sensisse nullam umquam feminam tantum amatum iri quantum Lesbiam a se.

## VII

Transeamus nunc ad eam figuram quae dicitur interrogatio. Qua figura cum saepius usus sit Catullus, magis varium animi motum eum exprimere potuisse quis negare possit? Frequentissimus eius figurae usus, qui tamen a Catullo raro usurpatur, is est, ut ad interrogata nil respondeatur:

38,6: Irascor tibi. Sic meos amores?

43,6: Ten' provincia narrat esse bellam?

Tecum Lesbia nostra comparatur?

Quas interrogationes nihil aliud esse quam modum sententiae exprimendae, quae nullum postulet responsum unicuique statim manifestum fiat necesse est. Eius generis interrogationes

in Horatii quoque carminibus saepius adhibitas esse multis exemplis comprobari potest (IV 1):

Intermissa, Venus, diu  
Rursus bella moves?

(C. I 5; I 9; I 12; I 25; III 7; III 10; III 25, similia).

Persaepae fit, ut interrogatio, cum in ipsa insit responsum, probationis sive enuntiati affirmantis locum obtineat. Eo interrogandi modo saepe usus est Catullus, ut in *carm.* 45 dulcissimo, ubi poëta cum duorum amantium imaginem lepidissimis depinxisset coloribus, haec denique subiecit:

Quis ullos homines beatiore  
Vidit? Quis Venerem auspiciorem?

Similem usum invenimus in *carm.* 82,1; 100,7.

Prorsus eundem interrogandi modum neque apud Horatium deesse carmen testatur III 11, ubi haec legimus:

**BUL** , Impiae (nam quid potuere maius?)  
Impiae sponso potuere duro  
Perdere ferro,

quibus verbis poëta figura interrogationis posita nullum maius profecto scelus Danaides committere potuisse monuit; nihil aliud fecit Catullus, cum interrogatione adhibita nullos umquam amantes feliciores fuisse professus esset.

His collatis iam admoneamus, quam late patuerit, quem proprium ingenii Catulliani esse dicimus et in deliciis illius poëtae sermonis ponimus usus quaerendi eodemque saepe vocabulo respondendi. Itaque in *carm.* 9, 3 e. q. s., quod mollissimos amicitiae sensus spirat, poëta gaudio exultans, quasi credere nequeat nuntium beatum, ex amico ex longinquis terris redeunte quaerit, veneritne domum revera, nec minus sincero affectu ex intimo pectore deprompto respondet amicum profecto venisse:

Veranni, omnibus e meis amicis  
Antistans mihi milibus trecentis,  
Venistine domum ad tuos Penates  
Fratresque unanimos anumque matrem?  
Venisti. O mihi nuntii beatil..

Quem interrogandi respondendique modum ex Graecorum poësi a Catullo sumptum iam alii observaverunt. C. Schulzius in dissertatione quae inscribitur De Catullo Graecorum imitatore pg. 37 rectissime Theocriti idyllii 12 admonuit, quod sane cum Catulli carmine, cuius aliquot versus modo allati sunt, comparari possit:

"Ἠλυθεες, ὦ φίλε κοῦρε τρίτη σὸν νυκτὶ καὶ ἦοι;  
 "Ἠλυθεες. οἱ δὲ ποτεῦντες ἐν ἡματι γηράσκουσιν.

In carmine vero 77, quod vehementissimum dolorem mihi quidem prae se ferre videtur omnium Catulli carminum, quae in aemulis exagitandis atque vexandis versantur, poëta Rufum quendam, amicum perfidum, qui illo absente Lesbiae sibi conciliavit amorem, appellans rogat:

Sicine subrepsti mi atque intestina perurens  
 Mi misero eripuisti omnia nostra bona?

eamque rogationem summae dubitationis gravissimique doloris plenam sequitur responsio plane affirmans:

Eripuisti; eheu nostrae crudele venenum  
 Vitae, eheu nostrae pestis amicitiae.

Hoc modo vehementem animi motum tristemque animum et dolorem a poëta Veronensi semper designari etiam aliis comprobatur carminibus: 12,6; 24,7; 37,7; 40,6; 42,7; 62,8; 72,7; 88,4; 100,5; 104,1.

In Horatii carminibus eum interrogandi respondendique modum nisi in epodis semel (1,9 sq.) non invenimus:

An hunc laborem mente laturo, decet  
 Qua ferre non mollis viros?  
 Feremus et te vel per Alpium iuga...

### VIII.

Catullus tamen in versibus versuumque particulis variisque dicendi flosculis iterandis ac frequentandis mirum quantum sibi placuit, longe in ea re discedens ab Horatii severa elegantia, qui quamquam non omnia in hoc genere cavit, tamen



hanc licentiam sibi nisi perangustis finibus non permisit. Catulli carmina, tam parvum corpusculum quod vix tertiam partem ambitus Horatii carminum amplectatur, quanto opere versùs singulaque vocabula bis terve ac saepius non magnis intervallis posita ferant quis nescit?

Quas repetitiones ex vulgari consuetudine fluxisse iam alii animadverterunt eamque opinionem planius comprobaverunt. In Homeri reperiuntur carminibus, quorum auctoritatem per multa saecula tantam fuisse constat, ut ex iis tamquam ex vivo fonte mera semper manaret poësis et poëtarum hortulos irrigaret:

II. 6,395: Ἀνδρομάχη, θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἡετίωνος,  
Ἡετίων, ὃς ἔναϊεν . . .

II. 20,371: τοῦ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι, καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν,  
εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

II. 22,127: τῷ ἄρισμέναι, ἄτε παρθένος ἠΐθεός τε  
παρθένος ἠΐθεός τ' . . .

II. 2,671: Νιρέος αὖ Σόμηθεν ἄγε τρεῖς νῆας εἴσας  
Νιρέος, Ἀγλαΐης υἱὸς Χαρόποιό τ' ἀνακτος  
Νιρέος, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ . . .

II. 2,837: τῶν αὖθ' Ἐρτακίδης ἤρχ' Ἄσιος ὄρχαμος ἀνδρῶν,  
Ἄσιος Ἐρτακίδης ὃν Ἀρίσθηθεν φέρον ἵπποι,

II. 2,849: τηλόθεν ἐξ Ἀμυδῶνος, ἀπ' Ἀξιοῦ εὐρὸν ῥέοντος,  
Ἀξιοῦ, ὃς κάλλιστον ὕδωρ ἐπικίδναται αἶαν.

II. 2,870; 6,153; 7,137; 12,95; 18,398; 21,85; 21,157.

In *Odyssea* unicum exstat repetitionis exemplum, quod iam Aristarchus (*Aristonic. ed. Carn.* pg. 5) animadvertit (1,22 sq):

Ἄλλ' ὁ μὲν Λιθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἔοντας  
Λιθίοπας, τοὶ διγθὰ δεδαΐαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν.

Eamne figuram iam Ennius in *Annalibus* ab Homero sumpserit, propter exiguitatem fragmentorum certe diiudicari non pot-

est, quod tamen mihi quidem verisimillimum esse videtur cum Ciceroni (*progn. fr. in de div.* l. 14) nota sit:

Saepe etiam pertriste canit de pectore carmen  
Et matutinis credula vocibus instat,  
Vocibus instat et adsiduas iacit ore querellas,

et Lucretio (5,950):

quibus e scibant umori' fluenta  
Lubrica proluvie larga lavere umida saxa  
Umida saxa, super viridi stillantia musco.

In Alexandrinorum poësi late patuit<sup>1)</sup>, unde a Catullo recepta non fortuitum, sed studiose quaesitum et adamatum poëtae artificium fuit. E poëtis aetatis Augusteae imprimis ab Ovidio usurpabatur<sup>2)</sup>. Apud Vergilium semel atque iterum in Bucol. reperitur, e. g. 6,20:

Addit se sociam timidisque supervenit Aegle,  
Aegle, Naiadum pulcherrima,...

6,55:

Claudite, Nymphae,  
Dictaeae Nymphae, nemorum iam claudite saltus,

4,48:

Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,  
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.

et in Georg. III 280:

Hic demum, hippomanes vero quod nomine dicunt  
Pastores, lentum destillat ab inguine virus,  
Hippomanes, quod saepe male legere novercae;

in Aen. raro occurrit, quod „repetitionum amoenarum loco ponatur“ (Macrob. V 14,6), in eisque locis, qui sublimiorem exhibent sonum (6,164):

Atque illi Misenum in littore sicco,  
Ut venere, vident indigna morte preemptum,  
Misenum Aeoliden, quo non praestantior alter  
Aere cedere viros,

<sup>1)</sup> Th. Zielinski, *Philol. N. F.* XIV, 1901, 13 sq.

<sup>2)</sup> R. Helm, *Festschr. f. Vahlen*, Berol. 1900, 359 sq.

Aen. 6, 494:

Atque hic Priamiden laniatum corpore toto  
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,  
Ora manusque ambas,

Aen. 7, 586:

ille velut pelagi rupes immota resistit,  
Ut pelagi rupes magno veniente fragore.

Quam consuetudinem, praeter Alexandrinos poëtas Saphonem fortasse secutus, Catullus quoque amplectitur eique dicendi generi nativo suo ingenio tantum venustatis et simplicitatis adpersit, ut repetitiones eius, quarum usus tam late patet, non solum aures non offendant, sed in deliciis sermonis vatis Veronensis habendae sint. Repetitiones autem Catullianas in duas partes dividi posse mihi quidem videtur: quae fortuitae sunt casuque oblatae et quae consulto usurpantur. Ad primam partem eas referendas puto, quae (per speciem quidem) nihil subiciunt, quod in carmine componendo maioris momenti esse possit, ad alteram eas, quas eo consilio adhibet poëta, ut vehementius animi moveantur <sup>1)</sup>.

Cum igitur in carm. 76, quo, quod affectuum altitudinem attinet, pauca tulit antiquitas praeclariora, v. 13 sq. Catullus dicit:

Difficile est longum subito deponere amorem.  
Difficile est; verum hoc, qua lubet, efficias,

duo tantum repetit vocabula, quae praedicatum sunt enuntiati, verum tamen consulto ea repetisse videtur, ut affectum suum sincerum tristemque animum depingeret et amare desistere difficile esse concederet.

Persaepe tamen apud Catullum versum bis terve ac saepius positum invenimus. Atque ut omittamus versuum intercalarium suis intervallis redeuntium ornamenta in Parcarum cantu carminis 64 (Currite ducentes subtegmina, currite, fusi) et in utroque hymenaeo (61: o Hymenaeae Hymen, Hymen o Hymenaeae, et 62: Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae), vel ea, quae ad intercalarium normam propius

<sup>1)</sup> Vahlen, *Index lectionum in Univ. Litt. Frid. Guil.* 1896/97.

accedunt, quibus Theocritum in idylliis et Vergilium in eclogis usos esse constat, quamvis ad horum carminum naturam facta sint, tamen huius poëtae studio quid maxime probatum fuerit patefaciunt. Sed sunt alia ab hoc genere carmina diversa, quae eandem iteratorum versuum consuetudinem prae se ferunt. Admoneamus igitur carminis 8,3:

Fulsere quondam candidi tibi soles

et versus 8:

Fulsere vere candidi tibi soles:

quippe repetito versu poëta et colligere videtur superiora et confirmare et sibi transitum parare ad contrariae conditionis miseriam describendam; dein in altera parte cum haec se excipiant v. 11:

Sed obstinata mente perfer, obdura;

v. 12:

Vale, puella; iam Catullus obdurat

et v. 19:

At tu, Catulle, destitutus obdura,

facile sentitur, quae vis adnotationi, sui accrescat bis terve repetito illo: „Catullus obdurat“ et „Catulle, obdura“.

Sed iam animadvertendum esse putamus iis repetitionibus saepe eximiam Catulli scribendi facultatem designari: multos dicendi flosculos, universos versus memoria tenere poëtam Veronensem iisque uti et ludere ad diversissimos affectus depingendos. Ut nos singula vocabula dicendique rationes, ita Catullum versus memoria tenuisse iisque occasione oblata usum esse in propatulo est.

Legimus igitur in carm. 2,1:

Passer, deliciae meae puellae,

et mox in carm. 3, ubi primum passerem mortuum esse suae puellae locutus est, statim eundem adiecit versum, quem primum carminis 2 posuit:

Passer, deliciae meae puellae.

In carm. vero 8 Catullus vehementissime permotus cum de fide a Lesbia rupta quereretur, quanto eam amore dilexisset, his verbis designavit:

*Amata nobis quantum amabitur nulla,*

quae et sincerum praebent affectum et ex pectore amorem verum numquam evelli posse signumque eius semper mansurum ostendunt.

Quare cum novos puellae perfidae amatores in carm. 37 exagitaret, amoris sui recordatus puellam iisdem fere vocavit verbis:

*Amata tantum quantum amabitur nulla,*

uno tantum vocabulo mutato.

Et quibus verbis fratrem sibi indigna morte ademptum lamentatus est in carm. 68,20:

*O misero frater adempte mihi,*

paene iisdem patrem gemit in eodem carmine v. 92:

*Ei misero frater adempte mihi.*

Denique cum ad tumulum fratris venisset cum Memmio in Bithyniam profectus, ut mortuo iusta persolveret, gravi luctu commotus eadem fere exclamavit in carm. 101,6:

*Heu miser indigne frater adempte mihi.*

Quod cum de aliis quoque frequentibus in carminibus vatis Veronensis repetitionibus dici possit, plures enumerare vanus labor esse videtur et iam id solum agitur, ut, quantum ad sinceros vehementioresque animi motus exprimendos valeant, paucis comprobetur verbis.

Iam cum carminis 76 verba afferemus, admonuimus, vocabula bis terve a saepius posita ad tenorem sonumque loci sublimiorem reddendum affectumque vehementiorem exprimendum quanti momenti esse videntur. Quod ut in lucem clariorem proferatur omnisque dubitatio removeatur, admoneamus

etiam carminis 58, quo Catullus Caelium amicum de Lesbiae perfidia certiore facit summumque suum contemptum puellae ad explendam libidinem plane se proicientis declarat:

Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa,  
 Illa Lesbia, quam Catullus unam  
 Plus quam se atque suos amavit omnes,  
 Nunc in quadriviis et angiportis  
 Glubit magnanimos Remi nepotes.

Affectum vehementem tristitiamque summam spirant verba repetita, cuius repetitionis pulcherrimae vis non tantum in »illa« iterato inest, quantum in iuncto »Lesbia illa« per chiasmum duplicato. Qui diligentius eam repetitionem consideraverit, iam facile persuasum habere poterit poëtam duas iterare voces „Lesbia“ et „illa“, unam alteramve praeponentem, tamquam si rectiora lenioraque ad horrida illa, quibus impri-  
 mis excrucietur ipse, invenire velit. Nimirum Lesbia erat unica femina, quam sincere et ex animo dilexerat Catullus, quod ipse versibus suavissimis expressit (c. 72):

Dilexi tum te non tantum ut vulgus amicam,  
 Sed pater ut gnatos diligit et generos.

Neque aliter Horatius in carm. IV 13, 1 e. q. s. cum tempus tandem, quo meritas pristinae superbiae poenas exsolveret Lyce, venisse dixisset; illam enim, quod diu a diis efflagitaret, iam anum fieri et, quamvis formae deperditae pigmentis artibusque meretriciis mederi studeret, deserere tamen et contemni ab omnibus:

Audivere, Lyce, di mea vota, di  
 Audivere, Lyce: fis anus et tamen  
 Vis formosa videri  
 Ludisque et bibis impudens,

Et cantu tremulo pota Cupidinem  
 Lentum sollicitas.

Vocabulis: »audivere di«, »di audivere« per chiasmum repetitis gaudio exsultare se dicit poëta, quod Lyce iam vetula

facta sit; vocabula »fis« (quae forma raro tantum usurpatur)<sup>1)</sup> et »vis«, quae similiter sonant, vehementiorem produnt animi motum. Cum tamen poëta frustra Lycen tenerae aetatis annos semel praeterlapsos Coisque vestibus peregrinisque odoribus restituere tentare dixisset, brevi indignationis iraeque oblitus est et Lycen, quam olim tanto opere amaverat, venustam et splendidam et formosam ante oculos suos adstare cogitatione sibi depingit neque quo fugerit amicae pulchritudo perspicere potest:

Quo fugit venus, heu, quove color, decens  
Quo motus? Quid habes illius, illius  
Quae spirabat amores?

et vocabulo »illius« repetito tristem reddit affectum, quod quasi querella quaedam temporis acti sonat. Iam multi animadvertunt interpretes his Horatii verbis eundem exhiberi affectum, quem Catulli carmen 58. Sed Catullus ubi omnem suum in retinenda sibi Lesbia laborem frustra insumi et integrae perditaeque funditus menti amorem suum credi conspexit, indignatione commotus tandem exclamavit:

Nunc in quadriviis et angiportis  
Glubit magnanimos Remi nepotes,

sicuti postea de Lydia dixit Horatius in carm. I 25, 10, quae anus facta:

Invicem moechos anus arrogantis  
Flebis in solo levis angiportu.

Longe aliter sonat repetitio in carmine 5 Catulli, ubi poëta a puella basia petit innumerabilia:

Da mi basia mille, deinde centum  
Dein mille altera, dein secunda centum,  
Dein usque altera, deinde centum,

nam vocabulis: »da mi bassia mille« repetitis non solum ardorem amantis exprimi, sed adiectis vocabulis: »deinde centum« poëtam ludere videmus.

<sup>1)</sup> Kühner - Holzweissig, 1912, pg. 819.

Idem gaudium spirare vehementioremque animi motum prae se ferre certe concedet, quicumque carmen Catulli 107 legerit:

Si quicumque cupido optantique obtigit unquam  
 Insperanti, hoc est gratum animo proprie.  
 Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro,  
 Quod te restituis, Lesbia, mi cupido,  
 Restituis cupido atque insperanti, ipsa refers te  
 Nobis. O lucem candidiore nota!  
 Quis me uno vivit felicior, aut magis hac rem  
 Optandam in vita dicere quis poterit?

Si cum hoc nativo Catulli atque adamato genere dicendi carmina Horatii comparaveris, iterandorum vocabulorum morem multo rariorem esse invenies neque dubium habere poteris, quin poeta Venusinus in vocabulis variisque dicendi flosculis iterandis ac frequentandis hunc Catulli morem, imprimis in epodis secutus sit, ut 17,65 e. q. s.:

Optat quietem Pelopis infidi pater  
 Egens benignae Tantalus semper dapis  
 Optat Prometheus obligatus aliti  
 Optat supremo collocare Sisyphus  
 In monte saxum.

Videamus tamen Horatium saepe repetita vitare vocabula etiam in iis locis, in quibus notio vocabulorum eadem est neque iisdem eam exprimere vocabulis, sicuti fecisset Catullus, ut in carm. III 7:

Ut Proetum mulier perfida credulum  
 Falsis impulerit criminibus nimis  
 Casto Bellerophonte  
 Mutare necem, refert;

Narrat paene datum Pelea Tartaro...

Concursum igitur vocabulorum: »refert« et »narrat« habemus, quamquam Horatius facillime hic repetitionis figuram adhibere potuit, quod cum neglexisset, consulto id factum esse pro certo haberi licet. Neque tamen putandum est poetam Venusinum omnia in hoc genere cavisse et prorsus repetita



vocabula vitavisse, cum praeter repetitionem modo allatam in epodis plures enumerari possint: 2,13; 2,31; 4,20; 5,3,5; 5,17; 5,53; 5,71; 5,77; 6,11; 7,1; 9,21; 11,2; 12,14; 14,6; 16,53; 17,7; nec non in carminibus, ut I 19:

Urit me Glycerae nitor  
Splendidis Pario marmore purius  
Urit grata protervitas  
Et voltus nimium lubricus adspici.

II 4,5:

Saeva Briseis niveo colore  
Movit Achillem,  
  
Movit Aiacem Telamone natum  
Forma captivae dominum Tecmessae,

II 8,13:

Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident  
Simplices Nymphae . . . . .

II 16,1:

Otium divos rogat in patenti  
Prensus Aegaeo . . . . .

Otium bello furiosa Thrace,  
Otium Midi pharetra decori,

III 11,37:

Surge quae dixit iuveni marito,  
Surge, ne longus tibi somnus, unde  
Non times, detur . . . . .

et passim.

Sunt tamen eae repetitiones maximam partem eiusdem generis ut apud Catullum e. g. in carm. 65,11:

At certe semper amabo,  
Semper maesta tua carmina morte canam,

## IX.

Sed eae similitudines, quae in carminibus vatis Venusini perspicui possunt, maximam partem fortuitae casuque oblatae esse videntur, vox reciproca tantum Catulli carminum diligenter lectorum.

Restat, ut quasi in calce huius disputatiunculae admo-  
neamus frequentium locorum, in quibus quin Horatius poëtam  
Veronensem secutus sit nemo certe dubitabit. Catulli carmina  
sibi non fuisse ignota ipse Horatius testatur his verbis (*Sat.*  
I 10,17 e. q. s.):

Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est,  
Hoc stabant, hoc sunt imitandi; quos neque pulcer  
Hermogenes umquam legit neque simius iste  
Nil praeter Calvom et doctus cantare Catullum.

Mirum tamen est Horatium adeo oblitum esse Catulli cetero-  
rumque poëtarum neotericorum sive (ut a Cicerone non sine  
quadam irrisione appellantur) cantorum Euphorionis, ut audac-  
ter sibi attribuerit gloriam Aeolii carminis in Italos modos  
deducti (C. III 30,13; *epist.* I 19,23 et 32 s. q.), qui ceteroquin  
easdem in carminibus pangendis normas legesque sequebatur,  
quique versicolorum Catulli studiose lectorum maxime in  
epodis signa exhibet satis manifesta. Quibus non est quod  
miremur. cum sciamus Propertium quoque in elegiis Horatium  
aliqua ex parte imitatum esse, etiamsi ne uno quidem loco  
eiusdem poëtae faciat mentionem. Dubitari tamen nequit, quin  
poëta Vanusinus Catulli novisset carmina multaque et in rebus  
et in sermone ex iis secutus sit, sed non ita, ut quasi exem-  
plar sibi eum poëtam sumpsisset, cum in Graecorum poësi  
satis multa haberet, quae non solum admiratione sed etiam  
imitatione digna putaret, et imitandorum Graecorum studium  
omnibus fere poëtis latinis esset commune. Ceterum universus  
tenor sonusque carminum nec non ardens vehemensque Ca-  
tulli aminus, quos contemptu dignos esse arbitrabatur Cicero  
in *Parad. Stoic.* III 2, quod sibi nimis per humum repere et  
contra artis poëticae leges peccare viderentur, nullo modo  
Horatio, qui aureae mediocritatis laudator fuit et praeco, pla-  
cere potuit. Inde fit, ut similitudo quaedam inter Horatium et  
Catullum intercedere possit imprimis in epodis, ubi Horatius  
iuvenili ardore interdum exurgere et in impugnandis inimicis  
modum quandam excedere solet. Quidquid tamen est, multa  
occurrunt apud Horatium, quae cum locis ex Catulli carmini-  
bus excerptis apte conferri possint.

Quod cum iam alii animadverterint <sup>1)</sup>, multa tamen non satis accurate illustrata esse videntur. Quare hoc imprimis memoria teneamus necesse est Horatium non conscium sibi fuisse imitationis secutumque esse poëtae Veronensis ea vocabula easque dicendi rationes, quae ei in mentem venissent, quaeque communi iuris essent factae. Quae signa Catulli diligenter lecti nempe in epodis tanta sunt, ut utriusque poëtae carmina perlegenti primo obtutu manifesta fieri possint.

Postquam vero in hunc campum descendimus, liceat nobis epodon carm. 11 et 17 admonere, quorum primum his incipit versibus:

Petti, nihil me sicut antea iuvat  
 Scribere versiculos amore percussum gravi,  
 Amore, qui me praeter omnis expetit  
 Mollibus in pueris aut in puellis urere.

Horatius igitur Pettium quendam amicum, qui nova carmina ab eo petit, appellat ostenditque ad poësin sese haudquaquam esse idoneum, quod amore infelici tamquam flagro vel stimulo percussus sit. Non aliter Archilochum quondam poësin intermisisse fragm. 22 monet: καί μ' οὐτ' ἰάμβων οἷτε τερπωλέων μέλει, quod tamen alia de causa factum esse fragm. 85 testatur his verbis: ἀλλά μ' ὁ λυσιμελής, ὦ ταιρε, δάμναται πόθος. <sup>2)</sup>

Ita quidem in carm. 65 apud Hortalum amicum Catullus de nondum misso carmine sese excusare studet, quod de coma Berenices Callimachi carminibus latine expressum se illi missurum esse promisisset. Causum autem morae affert gravissimam, ingentem scilicet luctum de fratris carissimi morte, quae totum eius animum miserrime perturbaverit et omnem versuum scribendorum voluntatem exturbaverit:

Etsi me adsiduo confectum cura dolore  
 Sevocat a doctis, Hortale, virginibus,  
 Nec potis est dulcis Musarum expromere fetus  
 Mens animi: tantis fluctuat ipsa;

<sup>1)</sup> H. Düntzer, *Catull und Horaz*, Philol. 52 (1894) pg. 138 et 332; W. Everett, *Catullus vs. Horace*, Harvard studies in class. phil. 12 (1901) pg. 7.

<sup>2)</sup> Leo, *De Horatio et Archilocho* 9, sq.

Namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris  
 Pallidulum manans adluit unda pedem,  
 Troia Rhoeteo quem subter litore tellus  
 Ereptum nostris obterit ex oculis.

Allio autem amico, qui amantibus quondam aperuerat domum suam, quo convenirent exercerentque amores,<sup>1)</sup> ob eandem causam „munera Musarum et Veneris“ denegavit, cum epistolio lacrimis conscripto rogasset poetam, ut suavioris argumenti carmine recrearet animum suum adflictum (carm. 68):

Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors  
 Abstulit. O misero frater adempte mihi,  
 Tu mea tu moriens fregisti commoda, frater,  
 Tecum una tota est nostra sepulta domus,  
 Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,  
 Quae tuus in vita dulcis alebat amor.  
 Cuius ego interitu tota de mente fugavi  
 Haec studia atque omnes delicias animi.

Utrumque igitur poetam eandem exprimere videmus sententiam gravi dolore scribendorum carminum voluntatem intermitteri.

Quod autem in epod. 11, 8 e. q. s.:

Heu me, <sup>2)</sup> per urbem (nam pudet tanti mali)  
 Fabula quanta fui!

furore scilicet correptum saepe derisui esse hominibus amantem legimus, eandem rumoris causam saepe apud elegiae Romanae auctores invenimus, ut apud Tibullum I 4, 83:

Parce puer, quaeso, ne turpis fabula fiam,

Propert. I 2, 25:

Quam cito de tanto nomine rumor eris,

Ovid. *Am.* III 1, 21:

Fabula, nec sentis, tota iactaris in urbe,

<sup>1)</sup> R. Westphal., *Catulls Gedichte*, Vratisl. 1870, pg. 97.

<sup>2)</sup> Heu me, omisso „miserum“ in tragoedia Romana Caesarum temporibus saepius usurpabatur (Sen. Phaed. 898, 997, 1173).

idem etiam Catulli carmen 6 prae se ferre videmus. Cum enim Flavius quidam reticuisset, quibus indulgeret, amores, Catullus pudendos turpioresque scilicet esse suspicatus est:

Verum nescio quid febriculosi  
Scorti diligis: hoc pudet fateri.

Ad quas similitudines etiam hae adiciendae videntur:  
Horatius in epod. 11, 10:

Arguit et latere petitus imo spiritus

scribit de suspiriis ex imo pectore petitis, ut Vergilius in *Aen.*  
I 371:

Suspirans imoque trahens a pectore vocem,  
et *Aen.* VI 55:

Gelidus Teucris per dura cucurrit  
Ossa tremor funditque preces rex pectore ab imo;

pariter Catullus 64, 125:

Clarisonas imo fudisse e pectore voces  
et 64, 198:

Quae quoniam vere nascuntur pectore ab imo.

Cum autem apud Horatium (epod. 11, 27):

Sed alius ardor puellae candidae

pro »pulchrae« legimus (quo vocabulo poetam Venusinum omnino bis usum esse scimus), nonne statim memoria teneamus necesse est idem adiectivum ad pulchritudinem eximiam designandam in Catulli carminibus aliquotiens occurrere (13, 4; 35, 8; 86, 1)?

Neque tamen dubium esse videtur, quin hae omnes similitudines singulae nullum exhibeant argumentum Horatium a Catullo pendere, omnes autem in uno carmine collatae satis ostendere videantur Horatium, cum epod. 11 scriberet, de Catullo cogitasse,

Alia tamen quaeramus, quibus poëtam Venusinum hinc pendere putemus. Legimus igitur in epod. 12, 1 e. q. s.:

Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?  
Munera quid mihi quidve tabellas  
Mittis nec firmo iuveni neque naris obesae?  
Namque sagacius unus odoror,  
Polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis,  
Quam canis acer, ubi lateat sus.

Quibus verbis poëta vetulam quandam libidinosam, quae muneribus epistulisque amatoriiis conciliare sibi eum studebat, irridet ostenditque sese eius esse naris, quae malos odores summo opere horreat, eamque olere hircum, ut olim dixerat Catullus de Rufo (carm. 69):

Laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur  
Valle sub alarum trux habitare caper.

Itaque cum Horatius ad foedum odorem ex alis vel axillis brachiorum manantem depingendum eadem usus sit metaphora, nihil impedit, quominus poëtam Venusinum eam metaphoram a Catullo sumpsisse pro certo affirmemus<sup>1)</sup>.

In eodem Horatii carm. (epod. 12, 12 sq) hi inveniuntur versus:

Tibi nempe,<sup>1)</sup>  
Ne foret aequalis inter conviva, magis quem  
Diligeret mulier sua quam te,

ubi raram vocem »m u l i e r« pro amica sive puella et elegiae Romanae auctoribus ignatam usurpatam esse videmus. Quo cum loco apte conferri potest simile exemplum in Catulli carmine 70:

Nulli se dicit mulier mea nubere malle  
Quam mihi, non si se Iuppiter ipse petat.

In epod. 13, 11 e. q. s. de Achille sic scribit Horatius:

Invicte, mortalis dea nate puer Thetide,  
Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi

<sup>1)</sup> Rem. Baehrens, *Comment.* pg. 539.

Findunt Scamandri flumina lubricus et Simois,  
Unde tibi reditum certo subtemine Parcae  
Rupere, nec mater domum caerulea te revehet.

Cum Scamander sive Xanthus (Hom. *Il.* 20,74: ὃν Ξανθὸν καλέουσι θεοί, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον) et Simois propter μάχην παροπατάμιον, qua pugna Achilles fortissimum se praestiterat, adeo noti essent, ut poëtae iis fluminibus Troianorum terram designare solerent, Horatius quoque eum morem secutus est carminis scilicet Catulli 64 v. 358 sq. haud immemor:

Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,  
Quae passim rapido diffunditur Hellesponto,

praesertim cum iis qui sequuntur versibus de certo Parcarum subtemine dicat, quod lepidissimis verbis expressit Catullus (64, 339 e. q. s.).

In epodon autem carmine 14 Maecenati roganti, curepodon συλλογὴν publici iuris nondum fecerit, Horatius respondet Phrynes amore captum tantae inertiae se dedisse, ut fidem datam exsolvere nequeat (v. 15 sq.):

Gaude sorte tua; me libertina, nec uno  
Contenta, Phryne macerat,

quo loco poëta Venusinus videtur respexisse ad dicendi rationem scriptoris, quem ceteroquin semel tantum in sat. appellavit nominatim. Catullus enim quamvis in carm. 111 eximiam sane laudem esse dicat mulieris, quae uno marito contenta vivat:

Rufilena, viro contentas vivere solo  
Nuptarum laus e laudibus eximiis,

(ut olim Plautus *Merc.* 824: „uxor contenta est, quae bona est, uno viro), id tamen de sua Lesbia sicuti Horatius de Phryne loqui non potuit, cum Lesbia quoque >uno Catullo contenta non esset (68,135)◁.

Alia porro locutio, qua Horatius in epodon carmine 15 usus est, cum de fide a Neaera rupta quereretur:

O dolitura mea multum virtute Neaera:  
Nam si quid in Flacco virist,

Non feret adsiduas potiori te dare noctis,  
Et quaeret iratus parem,

et sententiarum quaesita gravitate et affectuum veritate nonne nos in memoriam Catulli carminis 8 reducit, ubi poëta iratus puellae scelestae tristem vitam et infamia coopertam, quam iam victura sit, ob oculos ponit?:

At tu dolebis, cum rogaberis nulla.  
Scelestae, vae te. Quae tibi manet vital.  
Quis nunc te adibit? Cui videberis bella?  
Quem nunc amabis? Cuius esse diceris?  
Quem basiabis? Cui labella mordebis?  
At tu, Catulle, destinatus obdura.

Quamquam in elegia Romana Augusti temporibus frequentes sunt loci, quibus poëtae scilicet Alexandrinorum morem secuti sese de puellarum perfidia consolari student sperantque ipsas maxime dolituras esse:

Tib. I 9,79:

Tum flebis, cum me vinctum puer alter habebit  
Et geret in regno regna superba tuo,

Prop. II 5,5 e. s. q:

Inveniam tamen e multis fallacibus unam,  
Quae fieri nostro carmine nota velit,  
Nec mihi tam duris insultet moribus, et te  
Vellicet: heu sero flebis amata diu,

Horatii tamen carmen a tali mollitie distare longeque alium exhibere affectum videmus et poëtam, cum omnes vires suas in id intendere sese paratum esse ostendat, ut Neaeram perfidiae vehementer paeniteat, Catulli vestigia pressisse mihi quidem persuasum est <sup>1)</sup>.

Velim quoque animadvertas utrumque poëtam ad eandem rem designandam interdum iisdem uti vocabulis:  
Hor. in epod. 1,31:

Satis superque me benignitas tua  
Ditavit,

<sup>1)</sup> Kiessling-Heinze, *Comm.* (1917) pg. 559.



et in epod. 17,19:

Dedi satis superque poenarum tibi,

Cat. in carm. 7:

Quaeris, quot mihi basiationes  
Tuae, Lesbia, sint satis superque?

et non multo post (v. 9):

Tam te basia multa basiare  
Vesano satis et super Catullo est.

Quae locutio, cum a poëtis plane non fuerit aliena et a Cicero saepe usurpata sit, nullum praebet argumentum ab Horatio ex hoc Catulli carmine esse sumptam, notatu tamen propterea digna videtur, quod ceteroquin in carminibus vatis Venusini nusquam reperiri potest et omnino bis apud utrumque poëtam occurrit.

Cum in eodem Horatii carm., v. 36:

Quae finis aut quod me manet stipendium?

et apud. Cat. 8,15:

Quae tibi manet vita?

legimus, in utroque loco non solum eandem vocem »manet«, sed etiam interrogationem invenimus, qua Horatium in epodis Catullum scilicet secutum saepius usum esse constat.

Sunt etiam multa alia, quae nobis Horatii carmina legentibus Catulli afferunt memoriam. Non fortuita igitur videtur illa comparatio aestus amatorii cum flammis Aetnae, quam in Horatii epod. 17,30 invenimus:

Quid amplius vis? O mare et terra, ardeo  
Quantum neque atro delibutus Hercules  
Nessi cruore nec Sicania fervida  
Virens in Aetna flamma,

cum Catullus quoque nondum in amore potens quantis aestibus iactatus sit declaret (68,53):

Cum tantum arderem quantum Trinacria rupes.

Cum igni Aetnaeo quamquam alii quoque poëtae ardentissimos amoris aestus comparare solent, ut Ov. *R. A.* 491:

Quamvis infelix media torreberis Aetna,  
Frigidior glacie fac videare tuae

et in epist. Sapphus 12:

Me calor Aetnae non minor igne tenet,

tamen Horatius, cum etiam eodem verbo »ardeo« usus sit, quin de Catullo cogitaverit, cum haec scriberet, mihi quidem haud dubium esse videtur.

Et iam Horatium a Catullo ea quae in epod. 13,39 legimus verba sumpsisse quis negare possit?:

sive mendaci lyra  
Voles sonare »tu pudica, tu proba«  
Perambulabis astra sidus aureum.

His enim versibus poëta Venusinus se ipsum Canidiae artibus magicis petitum excruciatumque esse fingens, non sine maxima irrisione, ut sibi tandem satis perdomito parcat, supplex moecham orat et obsecrat. Ad eius autem animum placandum et mitigandum sese iam satis superque poenarum ei pro sua petulantia dedisse, et, quanta sit eius in arte venefica potentia, scire; quare ad omnes, quascumque iusserit, poenas exsolvendas, eamque carminibus ut pudicam et probam mendaci lyra usque ad caelum extollendam paratum se esse ostendit. Cum non aliter Catullus in *carm.* 42 moecham quandam turpem, ut sibi pugillaria redderet, rogaret eamque primum vehementissime invectus moecham putidam, denique ad preces versus:

Mutanda est ratio modusque nobis /

»pudicam et probam« diceret:


Pudica et proba, redde codicillos,

Horatium hunc loquendi modum ab eo poëta sumpsisse putemus necesse est.

W. 575/50




3606



Biblioteka Główna UMK



300048525483



Biblioteka Główna UMK



300048525483